



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 118. Margaritæ de Scotia Galliarum Delphinæ obitus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Renatus Andegavensis Duci persolvere pollicitus fuerat, repetiit. Rem composuit Carolus VII. Ducissæ præcipiens, ut Renato Siciliae Regi Novum-castrum, & Claromontium in Argonnia restitueret, eidemque lytrum remitteret, ea tamen lege, ut Renatus Valcassaliam in Flandria Burgundiæ Duci cederet. Habebatur quoque mentio Atrebatensis tractatus, cujus quosdam articulos utrinque violatos fuisse proponebatur. Decisa etiam fuit causa Armeniaci Comitis, qui in Insula Jordani captivus detinebatur; hujus enim Delegati Catalauni existentes, cum Comiti non solum bonorum suorum proscriptionem, sed forte ipsius quoque capitis pœnam imminere intelligerent, implorata Regis clementia, Domino suo veniam dari enixe rogarunt. Rex eorum precibus expugnatus, adhibitis omnibus securitatis necessariæ cautelis, eundem pristinae bonorum suorum possessioni restituit, ac in gratiam recepit.

Sæcul. XV.
A. C. 1445.

§. CXVIII.

*Mors Margaritæ de Scotia Gal-
liarum Delphinæ.*

Cum Rex Catalauni ageret, Delphina Margarita de Scotia, Jacobi I. natu major filia, ingenti totius aulæ luctu vivis erepta est, ac persolutis de more ju-

Sæcul. XV. ftis, Rex unacum Regina atque Delphi-
 A. C. 1445 no Catalauno digressi Senones petiere.

§. CXIX.

*Valentinensis & Diensis Comitatus
 Delphinatui conjuncti.*

Eodem anno Valentinensis & Diensis Comitatus Delphinatui conjuncti referuntur. Ludovicus enim Pictaviensis, cujus utraque erat ditio, suscipiendæ proliis spe frustratus, anno millesimo quadringentesimo decimo nono Carolum regnantem, illo autem tempore Delphinum, condito testamento hæredem scripsit, ea tamen lege, ut numeratis quinquaginta aureorum millibus æs alienum, quo testator gravatus erat, solveret, illiusque legatis satisfaceret, qua conditione non expleta, ad Amadæum VIII. Sabaudia Ducem hæreditaria successio transiret. Itaque Delphino legem exequi prætermittente, Amadæus utriusque Comitatus possessionem die vigesima quarta Augusti Anno millesimo quadringentesimo vigesimo secundo adiit, Rectoremque præfecit. Ast Galliarum Rex initis cum Anglorum Rege induciis, juris sui prosequendi opportunitatem, atque vires adeptus, duos hos comitatus sibi restitui, a Sabauda postulavit. Res vtrinque serio agitabatur, & tan-